


Meditationum Ad Pandectas Sacras Specimen Octavum, De Usu S. Scripturæ In Jurisprudentia

Rostochi[i]: typis Nicolai Schwiegerovii, [1730]


<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002315611>

Druck Freier  Zugang



RU jurist. 29.Juli.1730

Mantzel, Ern. Joh. Frid. /i



12 8

MEDITATIONUM

AD

PANDECTAS SACRAS

SPECIMEN OCTAVUM,

DE USU

S. SCRIPTURÆ

IN

JURISPRU-

DENTIA,

QUOD DEO CLEMENTER ANNUENTE

ET JURISCONSULTORUM ILLUSTRIS ORDINE CONSEN-

TIENTE

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI,

IN SERIE SOLENNITATUM

JUBILÆARUM,

PRÆSIDE

DN. ERN. JOH. FRID.

Wankel,

PHIL. & JUR. UTR. DOCT. ATQUE INSTIT. PROF. ORDIN.

PRÆCEPTORE SUO ESTUMATISSIMO,

H. L. Q. C.

ANNO MDCCXXX. d. XXIX. JULII.

1730

EXAMINI AMICO SUBMITTET

JOH. PHIL. LUD. ALBINUS,

Boizenb. LL. Stud.

RostochI, typis Nicolai Schwiegerovii, Ampliff. Senat. Typogr.

80
Inchyta Civitatis Patriæ Boizenburgensis

MAGISTRATUI,

*VIRIS CONSULTISSIMIS, AMPLISSI-
MIS atque PRUDENTISSIMIS*

**DNIS CONSULI-
BUS,**


**DNO JUDICI, &
DNIS SENATORI-
BUS,**

Viris munera sua graviter ornantibus,
Patronis atque Promotoribus suis
æstumatissimis, se suaque studia commendaturus,

Hanc Dissertationem sacram fieri voluit,
Totius Honoratissimi Ordinis,
quem inter Parentem & Cognatos sancte colendos videt
atque veneratur,

Observantissimus

JO. PHIL. LUD. ALBINUS.



INTROITUS.



Ccepit Benevolus Lector Partem priorem harum Meditationum ad Pandectas Sacras, exhaustentem observationes ad Veteris Testamenti Loca nonnulla; Causa, cur ita distinguere hoc scriptum atq; discerpere placuerit, non

una est, potior tamen, ne illorum animos, qui exemplaribus a Dominis Respondentibus distributis non habuerunt satis, sine satisfactione justo diutius detineremus. Quamvis enim satis nobiscum habitemus, prævidentes, nonnullos expectationi suæ non respondentia esse accepturos, tamen extraneorum desiderio deesse nolumus, cujusvis genio & ingenio relinquentes, quale iudicium ferre ipsi libuerit. Theses sunt, meditationes fugitivæ interdum sunt, Studiosis ad habenda frequentiora exercitia disputatoria, sine tamen multis sumtibus, concessæ. Et quia hunc morem servare placuit, non licuit hæcenus integrum opus sistere, dabitur autem illud cupientibus proximis mensibus. Vale Lector humanissime! Et illa, quæ officii ex ratione ulterius publicabuntur, non accipe, ac si essent gloriolæ captandæ causa facta, sed crede, omnia quæ fiunt, fieri ex studio inserviendi cupidæ Legum Juventuti.

A

DIS.

DISSERTATIO OCTAVA.

Meditatio I.

Matth. II, 2. 16.

*Herodes Bethlebemiticos infantes perimens stultè
satis egit.*

Regem Judæorum nasci & natum esse, omnino merebatur attentionem, & Herodes, qui feudi titulo Palæstinam tenebat, omnino tenebatur in hanc novam inquirere historiam. Sed quod excidium infantum Bethlehemiticorum fieri jusserit, omnes excedebat prudentiæ limites, adeoque tyrannicum erat factum, ut stultiæ ideam suo exemplo præbuerit posteris. Ille puerulus enim, qui Rex Judæorum aliquando futurus esse volebat, satis se distinxisset, modo attentus fuisset Herodes. Sed oportebat vaticinia Prophetarum etiam quoad hoc punctum suam habere evolutionem. Dicere solemus alias, *nemo successorem suum unquam occidit*; & lepida est Historiola de Imperatore illo, qui certior factus successoris nomen scribi per *Theo*, inde promotus fuit, ut trucidari juberet omnes Theodoricos, Theodoros, Theodulos & alios his forte similes. Sed stultorum plena sunt secula omnia. Notari denique meretur, quod scriptor ethnicus *Maerobius Saturnal.* 2. 4. hanc historiam etiam narret, & quamvis mirum habeant nonnulli, Josephum nihil de illa habere, tamen constat Libr. XVII. huc facientia illum scribere.

Meditatio II.

Matth. III. v. 7. coll. XXIII. 33.

Elenchus sit moderatus.

Historia Davidis a Nathane reprehensi dedit supra occasionem hoc caput, speciali thesi tangendi. Stat immota thesis, correctionem quavis via leniori esse faciendam, & graviter excedere limites justitiæ & prudentiæ, qui vel in unum & alterum, in errores & delicta prolapsus, convitiis inhe-

invehunt, vel hæreticos injuriolis adoriuntur exclamationibus. Quæ enim vitia sunt voluntatis, ea etiam verberibus possunt taxari, intellectum autem in viam rectam ducere, fiat omni mansuetudine & prudentia. *Vid. B. SCHOEFFERII* *diff. de Abusu elenchi*, videantur etiam alii multi, ex parte supra allegati. Solent equidem justo vehementiores provocare ad exempla Christi & Johannis, qui usi sunt increpationibus, *Ihr Ottergesichte*; Sed duo cum faciunt idem, non est idem.

Meditatio III.

Matth. IV.

Operationes Diaboli non sunt adeo extenuanda, ceu nostro seculo fieri solet.

Qui in capitibus doctrinæ de spiritibus quoad Diabolum & ejus potentiam præsertim per spectra & Sagas exerceri solitam, medio non incedunt tramite, valde hallucinantur. Datur enim omnino diabolus teste scriptura, & si datur, admittenda etiam sunt prædicata ejusdem operationes denotantia, posito enim subjecto tam nefario, ponendæ etiam erunt qualitates. Valde nobis placuit moderata illa philosophandi ratio, quam elegit *DN. WALCHIUS Theol. nunc Jenensis* in *der geheimen Philosphie*; Omnino enim medium tenere debemus, ne vel plane diabolus ad non-entia referatur, & ne nimis superstitione quidvis pro quovis habeamus pro vero. Satis torquere didicerunt illi S. Scripturam, quorum ingenio nullum dictum biblicum est adeo evidens, quod non ita explicare possent, ut suis thesibus non sit contrarium. Meditamur hæc ad Historiam Tentationis Christo a Diabolo intentatæ, quam speciose equidem, ast non sine multa exceptione *THOMASII* in *diff. de Crimine Magia* explicare studuit. Suasimus supra mediam tenendam esse viam in hisce thematibus, & quoad Sagas bis mentem jam exposuimus, expectantes, ut qui in uno latere nos peccasse autumaverint,

uberiora a nobis elicere velint, quam quæ dare thesium harum conditio patitur.

Meditatio IV.

Matth. V, 32. XIX, 9.

Divortii causas oportebat esse gravissimas.

Conjugium est arctior illa societas, quæ maxime ex instituto divino non patitur, ut ad aliorum contractuum naturam dijudicetur; Accedit multa ratio civilis, quæ perpetuitatem ad dies vitæ suadet juberque. Nullas autem plane admittere dissolutionis causas iterum impingeret in principia salutis humanæ; Ergo ad gravissimas quasdam causas reducere divortia, Legislatoris erat. Humani Principes non semper numero circumscripserunt illas, in eo tamen omnes conspirarunt, odiosam esse illam separationem, indeque valde restringendam. Nos, qui divina Lege nitimur, partim primam conjugii institutionem urgemus, *vid supra Meditatio. spec. ad Gen.* partim Salvatoris uberrimam explicationem sancte intuemur. An autem præcise ad duas causas restringi debeant divortia, non adeo evidens multis videtur. Et quamvis Praxin contra se habeant, urgent tamen, Paulum addidisse Christi determinationi aliam causam, & porro valde inspiciunt sensum vocabuli *πορνεία*, quod significare dicunt non tantum adulterium, sed quamvis atrociorē malitiam, volentes ut vitæ insidiæ, delictum plane famam perimens &c. sint etiam sufficientes causæ. Sed nil juvat theoria hoc loco sine praxi, cui inhærere nostrum est. Salva interea maneat cathedræ libertas, utut forum sit arctius constructum. Vid. instar omnium *COCCEJ. in Jur. Controv.*

Meditatio V.

Matth. V, 34. 36.

Jurare non est peccatum; Jurandum autem est per Deum omniscium.

Placuit hanc positionem totidem verbis iterum repetere;

re; Et quia hoc dictum maximum est dissentientibus praesidium, juvabit rotunde iterum scribere, Christum tantum temerarias & extra judicialiter promiscue fieri solitas jurandi & execrandi formulas prohibitas voluisse. Quod enim omnem plane usum juramentorum proscripserit, plane non est statuendum, ob tot alia dicta, praesertim ob dictum Apostolicum Hebr. VI, 16. *Der Eyd machet ein Ende alles Haders.* Licebit igitur non solum juramenta dirigente iudice praestare, sed licebit etiam in causis majoris momenti & dubii extrajudicialia edere vel in vim litium decisivam, unde per virtutem pacti, exceptio jurisjurandi & actio ex jurejurando, vel in vim promissoriam, ceu fieri solet in contractibus & negotiis per se licitis & honestis. Habemus frequentes etiam Gentilium scriptorum flosculos, quibus dissuadent promiscuam jurandi procacitatem, quidni igitur Christianos deceret, non sine pondere jurare.

Meditatio VI.

Matth. V, 39.

Actionem injuriarum instituire non est peccatum.

Stultus est, qui temere contemnit, quid de se publice fama vehat; Hinc quia alii forte habent principium: Calumniare audacter, semper aliquid haeret, nostrum est, ut remediis juris apertis in hunc finem injuriantem ad agnitionem sui facti improbi & ad satisfactionem nobis praestandam, adstringamus. Quamvis enim fama & honor nemini invito eripi possunt, tamen recte statuitur in jure, quod actio aestimatoria sit rei persecutoria ad redintegrandum quod opinione hominum ablatum nobis esse videtur. Ergo ob opinionem hominum nemo injuriam sibi illatam devorandam habet, sed salvo Christianismo & salva pietate potest instituire actionem injuriarum. Ut ut quidem proverbium *der Personen Freund und der Sachen Feind*, sit difficile in praxi affectuum humanorum, tamen impossibilem illam praxin esse nemo cordatus & vere pius Statuet. Qualem autem prudentius pro-

ponendam habeat actionem, an illam quæ tendit ad pœnam publicam & corporis ac famæ afflictivam, an eam quæ imponit satisfactionem pecuniariam fisco vel ecclesiæ inferendam, an vero æstimatoriam, hoc determinare nolumus, putantes tantum æstimatoriam non esse viro generoso dignam, & inherentes superioribus quoad ecclesiæ inferendam talem pecuniam, quam turpe accidens dicere tunc placuit. Excitavit valde dissentientes dictum Salvatoris allegatum, statuerunt enim, plane hic prohiberi quamvis actionem injuriarum, sed Christum noluisse unquam Legislatorem se præbere novum constat, unde aut de vindicta privata loquitur, quæ valde evitanda, aut tradit regulas morales, aut plane tantum admonet suos discipulos & primitivæ ecclesiæ cives, ut lubentius ferrent injurias, quam coram Magistratu præsertim non-Christiano actiones intentent Injuriantibus.

Meditatio VII.

Matth. VI, 9.

De oratione Dominica etiam Jctus habet, quæ meditetur.

Valde equidem paradoxon videtur in foro juridico de hoc themate differere, sed habemus, quæ ad illam observemus, id quod testatur *integra dissertatio B. WILDVOGELII Jcti Jenensis publicata 1712.* Sunt autem observata potiora, quod rosarium vulgo das Pater noster, ceusuram incurrat. Quod hæretici sint, qui cum Bogomilis & Insabbatatis nullam præter orationem Dominicam admittere voluerunt precatorem: Quod mos ecclesiæ usum hujus orationis frequentissimum faciens in actibus sacris quibuscunque sit vehementer laudabilis, utut non præcise sit de essentia hujus actus vid. Dedekenni Consilia Tom. 1. 580. quod in concionibus & distinguendis & finiendis recitari possit etiam a Studioso & non ordinato, ita tamen ut iterum non sit de essentia concionis: Quod puniri non possint Auditores, qui ante sacram cœnam decantanti orationem Dominicam Sacerdoti murmurantibus

bus suis concinunt: Quod autem gravissime reprehendendi
sint, qui vindictæ cupidinem in corde gestantes quintam
petitionem studiose omittunt. Quod autem quotidiana illi-
us petitionis recitatio neminem arceat & excludat ab actio-
ne injuriarum vel instituenda vel continuanda: Quod variis
loquendi flosculi sint detestabiles vel minimum odiosi & si
non puniendi tamen averfandi atq; reprehendendi, v. gr. ge-
gen den Menschen mag man alle Tage drey Vater unser bethen
„ „ „ als ein Vater unser lang „ „ „ das weiß er so fertig als
sein Vater Unser „ „ „ Sed sunt plures abusus populares ora-
tionis hujus sacrae, quos ne quidem allegare prudens est, in-
terque quos omnium est minimus, daß man die Eyer lochern
könne nach gewisser Maasse am Vater Unser etc.

Meditatio VIII.

Matth. VII, 12. Luc. VI, 31.

*Regula: Quod tibi vis fieri - - & contra, est sanctissi-
ma; Non autem inde juratur Edictum Prætorium:*

Quod quinque juris - -

Omnino fundamentum justitiæ universæ repositum est
in illa regula: *Quod tibi non vis fieri - - & per affirmativam:
Quod tibi vis fieri - - -* Ulterius officia pietatis & humanita-
tis & quæ præterea sunt obligationis in foro externo non ad-
eo perfectæ, stabiliuntur. Id quod non indiget demonstra-
tione. Sed quod illud Romanum: *Quod quinque juris in alie-
rum statuis, ut ipse eodem jure utatur*, inde vult defendi & co-
lorari, non possumus pati. Supponit enim illud edictum in-
juriam alicui factam vel a Jus tribuente vel ab illud impetran-
te; Quomodo, amabo, ad hanc inversam justitiam poterit
adeo sancta regula trahi, Christus non dixit, was euch ist
ungelegen gewesen, daß es euch die Leute gethan, das thut ihr ihnen
bey Gelegenheit wieder. Absit talis morum & justitiæ doctri-
na. Putamus præterea non solum ex hisce injustitiam hujus e-
dicti sed etiam non usum præsertim in nostra praxi satis ap-
parere; Obstat enim primo, nostros Judices Prætoribus Ro-
manis haud esse æquales, quia à Prætoris pronunciato non
daba-

dabatur remedium, præsertim quoties ille ex jure novo à se ipso facto judicabat; Nostri Cives, quibus Judex jus iniquum dedit, gaudent remediis suspensivis & annullatoriis. Secundo, hæc legis dispositio pœnam videtur importare velle, sed pœna hæcce valde est fortuita contra naturam pœnarum, quas oportet esse necessarias malefactorum consequentias: Jam autem forte nunquam talis Prætor vel jus iniquum impetrans in illum casum in terminis aut in illius adversarii manus incidit, unde tertio accedit, perpetuam futuram esse exceptionem casum illum à præsentis fuisse plane disparem, id quod multis ansam daret altercationibus. Tribus, Edictum illud Prætorium destitutum fuit & derelictum ab omni justitia & Legislatoris prudentia; Quod autem regulam illam, quod quisque - - - circa retorsionem jurium & insuper in vita humana adhibere possimus, sua radiat luce, & si quis verba illius sequi, non autem ejus naturam & historiam vult considerare, patitur versionem: Was einer will, daß dem andern gut genug ist, das muß er vor sich auch gut halten, und muß folglich so an seinem Nächsten thun als er ebenfalls und in gleichen Fällen es von demselben wünschet und erwartet.

Meditatio IX.

Matth. XII, 1. sqq.

Sabbatum patitur negotia pietatis & necessitatis.

Crassa erat interpretatio legis de sabbatho, quam sibi fingebant Pharisei, ne quidem summe necessitatis & pietatis causas permittentes. Constat jam ex Libris Maccabæorum, quod nec defensionem adversus hostes licitam sabbatho putaverint, inde hostibus occasionem excidii præbentes. Absit tam misera jurisprudentia. Nos igitur, qui Christiana insuper gaudemus libertate, manemus quidem in regula de sabbatho sancte colendo, at excipimus per leges Codicis expressas ut & per c. 3. X. de Fer. item L. 1. & 3. ff. cod. causas favorabiles & pietatis, v. gr. sponsalia, transactiones, adoptiones, & alia voluntariæ jurisdictionis; Ut & necessitatis, sive quando pericu-

periculum est in mora. Atque hinc otioſæ ſunt illæ meditationes de itineris Sabbathini moralitate, &c. In exceptione enim omnia die Dominico ſunt permiſſa. Placet adhuc allegare *L. 3. C. de Fer. omnes judices, urbanaque plebs & cunctarum artium officia die ſolis quieſcant. Ruri tamen poſiti, agrorum cultura libere licenterque inſerviant: Quoniam frequenter evenit, ut non aptius alio die frumenta ſulcis aut vineæ ſerobibus mandentur, ne occasione momenti pereat commoditas celeſti proviſione conceſſa. Eſt equidem Imperator nimis forte ſuperſtitioſus, interea opinioni & experientiæ aliquid largiendum, & procul dubio indigitat temporum utiliora, quæ nos dicimus den Babel. Solent etiam Conſcientiarii permittere die ſolis meſſem facere, ſi ſcilicet foeda tempeſtas continua fuerit, & jam hoc die ſerena ſatis aſt talis, quæ non ſit tuta in craſtinum.*

Meditatio X.

Matth. XIII, 44.

Theſaurus in alieno inventus non cedit inventori; Qui autem ſciens theſaurum latere in alieno, emit prædium, illum ſibi invenire poteſt.

Verſamur in Jure vel Univerſali vel Romano, bene gnari capita de theſauris non ubique eſſe Juris privati, ſed publici. Suppoſita autem in libertate theſauros occupandi, ſcribimus plane Juri Romano quoad diſtinctiones loci & modi inventionis; Tantum putantes illam dimidiationem inventi in alieno ſine data opera carere ratione perpetua; Poſſet enim ſine injuria ſcribi lex, quod illum dandum habeat domino fundi. Interea quia Lex Romana urget descriptionem quod ſit *donum fortuna*, & noſtræ vernaculæ *hoſculus*: Es iſt ihm beſcheret geſeſen, concordat, manebimus in lege. Caſus in textu propoſitus valde eſt ſingularis, ſcit Cnejus in vicini fundo latere theſaurum, diſſimulat ſcientiam, emitque fundum, & theſaurum ſibi effodit, Interpretatio mentis

B

tis

tis Salvatoris non aliud patitur, quam quod legitimam hanc & licitam declaraverit dissimulationem, adeo ut non debuerit ille inventor fortuitus Domino fundi indicare hujus luctri spem & occasionem. Hinc nostrum non est, ut contrariæ sententiæ defendendæ ullam impendamus operam.

Meditatio XI.

Matth. XIV, 3. 4.

Fratri defuncti viduam ducere non licet.

Gravis hæc est controversia, collidunt enim expressus Textus Lev. XVIII, 16. & Divina constitutio de excitando fratri semine & hæc parænesis Johannea. Noluimus supra hunc nodum gordium penitius considerare, sed remisimus nos ad hunc locum. Verum adhuc hæret aqua, ut tutius haberi queat, si supponamus Jure divino hunc gradum non esse prohibitum, unde Deo integrum fuit & prohibere & dispensare. Hominibus igitur nullus dispensandi locus erit relictus, nam dictum Lev. XVIII. & hoc Johanneum intelligere de viventis fratris uxore, minus tutum esse existimamus, utut ex Josepho hoc probare cupiant nonnulli. Qui interea contrariam sententiam satis speciosa ratione admittam videre cupit, adeat *Exc. LEYSER. Medit. ad ff.*

Meditatio XII.

Matth. XIV, 6. sqq.

Juramentum intelligatur ex mente deferentis; & explicetur juxta terminos habiles.

Prima positio est notoria, secus enim fraus fieret justitiæ; Nec altera est adeo obscura, potissimum quia hic datur exemplum illustrans. Herodes filiæ, cujus saltationes eundem temulentum delectarant, declarat jurato: *Er wollt ihe geben, was sie fodern wulde;* Jam autem expetente illa caput Johannis Baptistæ, wird er traurig, doch umb des Cydes willen, befahl

besieht er es ihr zu geben. Ægre tulimus supra Jephthæ pietatem, si ille forte immolavit filiam, putantes eundem non debuisse adeo stupefactum reddi. Herodes majori adhuc increpatione dignus nobis judicatur, qui omnino potuisset filix petitem remove, utpote intentioni suæ plane non conueniens, volebat enim donationem ipsi facere constantem ex rebus eandem locupletantibus, non vero solum turpem affectum ejusdem & impiæ matris exsatiare. Quid si petisset, der Herr Vater möchte sich die Nase abschneiden. Stat igitur sententia, omnem promissionem, utut juratam, explicari debere in terminis habilibus.

Meditatio XIII.

Matth. XVI, 15. sqq.

Papa non est Christi in Terris Vicarius.

Non habemus, quæ tot aliorum observatis ad hunc locum adderemus; Sufficit, evictum nondum esse, an Petrus unquam fuerit Romæ, unde reliquæ conclusiones possunt mensurari. Evolvantur longo ordine scriptores de Jure Principis circa sacra, qui omnino omnes dicam scribunt, & ipsi nobiscum opponunt exceptionem legitimationis. Sed partim hæc sunt vulgaria, partim hoc ipso jubilæo tempore ex professo proponuntur. Collineabat etiam ad illum scopum *Oratio Præsidis Inauguralis de Curia Papali criminis stellionatus, Principes & Remp. defraudantis, ubique suspecta & passim convicta. hab. in hujus ipsius Jubilæi serie.*

Meditatio XIV.

Matth. XVIII, 15.

Numerus testium sufficiens est binarius, sed non ex lege divina, bene autem ad normam dictorum biblicorum.

Remittimus Lectorem ad scripta superius, occasione Cap. XVII. Deuteronomii.

B 2

Me-

Meditatio XV.

Matth. XVIII. v. 17. seqq. cum parallel.

*A gradibus Admonitionis ad Excommunicationem
valent progressus.*

Longa est controversia de excommunicatione ecclesia-
stica, & nostro seculo hæc est agitatissima. Nemo autem
diffiteri poterit, censuram ecclesiasticam remedium esse posse
malorum, quæ in ecclesiæ & Reip. detrimentum ingrave-
scere solent. Quanta autem prudentia ille modus proceden-
di sit observandus, nemo est qui non videret. Non autem
opus est, ut hunc modum determinemus, siquidem satis il-
lustris illa est dispositio quam dederunt Principum Protestan-
tium ordinationes, inter quas eminet nostra Megapo-
lensis in der Kirchen- Gerichts und Consistorii Ordnung Cap.
XII. quæ inter alia graviter: *Es soll ein Prediger niemand öffent-
lich in den Bann thun, der zuvor nicht durch einen ordentlichen
Process vermahnet und überzeuget ist.* Manebimus igitur in
Litera. Taxamus autem valde mores quorundam ministro-
rum Verbi divini, qui promiscuas parochianorum querelas
instar judicum audire volunt, sub comminatione, *Sie nicht es-
her zum Abendmahl lassen zu wollen,* pronunciantes in causis
controversis.

Meditatio XVI.

Matth. XX, 1. sqq.

*Distinctio Justitiæ in commutativam & distributivam,
ut & proportionem arithmeticam atque geometri-
cam illustrationis gratia retineri
potest.*

Nemo torvum videat, observans nos odiosam hanc &
a multis atro carbone notatam distinctionem ex sacra Scri-
ptura

ptura defendere velle. Non enim nos illi sumus, qui in gratiam antiquitatis cœcutire vellent, sed quæ aliis sunt penetrabilia, ea & nobis non sunt obscura, quæ autem studiis prodesse possunt, ea relegare non patitur religio. Illustre est exemplum in historia hujus Capitis hanc distinctionem explicans. Operarii illi male contenti distributivam justitiam & proportionem geometricam exerceri voluerant, putantes postmeridianos sibi exæquari non posse. Dominus autem ipsis omnibus præbuerat mercedem uniformem & juxta proportionem arithmeticam justitiæ commutativæ. Videretur forte injustus ille Dominus conductor, nisi eundem excusaret statim responsio: Siehest du darumb so scheel, daß ich so güttig bin. Sufficiebat enim totius diei laborem pro merito unius denarii haberi posse, accedebat conventio expressa v. z. Da er mit den Arbeitern eins war umb einen Groschen zum Tagelohn. Satis recte sese habent hæc omnia, & præbent illustrem ideam beneficiorum, quæ nullam habere debent proportionem, & mercedum quæ excedere possunt eandem pro lubitu dantis, & denique pœnarum quæ neutiquam transgredi proportionem ad delictum poterunt.

Meditatio XVII.

Matth. XX, 25. sqq.

Superioritas Clericorum non sit imperii, utut ordinis rationem habere expediat.

Hoc dictum plane infringit Papalis Curia affectatam superioritatem, ex superiori dicto elici solitam. Omnes igitur Clericos, cujuscunque sint dignitatis (rang) oportet habere ordinem ex Principis voluntate, illud enim non prohibuit Christus, quod alii non debeant esse aliorum Inspectores, & quod non possint iterum esse Inspectorum Inspectores; Sed Majestaticam regnandi rationem interdixit. Hinc Papa usque ad Reformationem despotice in ipsos Principes

imperium exercens, notorie fuit Dominus supernumerarius, quia nec antea in ulla Gentium Republ. tale quid fuit, & quia nobis, quorum Principes non sunt sub imperio Papali, bene imo melius est, quam Catholicis.

Meditatio XVIII.

Matth. XXII, 36. sqq.

Officia recte satis distingui solent in ea erga Deum, erga proximum & erga se ipsum.

Bella super methodum appellare solemus illa litigia, quæ agitantur inter eruditos in rebus quidem, sed non in verbis convenientes. Talia autem bella non multo sunt arduè digna, nisi enim quis plane absurda & confusa utatur methodo, habebit, quibus hæc via promptior videbitur. Postquam studium Juris Naturalis distinctius tractari cœptum est, quemlibet sua traxit voluptas & in inveniendi principio Juris Naturæ, & in tractandi methodo. Vulgator & melior semper fuit, quam Pufendorff elegit, omnem causam distinguens in officia hominis, sive Jus Naturale privatum. Quod autem post eundem filii, nescio quid carpere voluerint, hoc ambitio & scribendi cacæthes effecerunt. Christus ipse quæsitus quænam sit Lex maxima? Omnem obligationem reducit ad tres hæc classes officiorum. Sibi igitur placeant, qui alia classificatione utuntur. Veritas enim semper erit eadem. Qui vero distincta officia erga angelos statuunt, plane non sunt philosophi; Et qui officiorum erga bruta terminum admitti volunt, nostram mentem acceperunt ad Proverbia Salomonis. Unicum adhuc adjicere placet, Christus dicit, du sollt deinen Nächsten lieben als dich selbst; Ergo, ordinata charitas incipit a se ipso. Ergo datur moderamen inculpatæ tutelæ, & quæ sunt alia in collisione præceptorum Juris Naturæ caute observanda.

Medi-

Meditatio XIX.

Matth. XXIII, 7. sqq.

*Gradus academicos ambire & tribuere, nullibi est
prohibitum.*

Datur genus hominum, qui ex hoc salvatoris monito-
sensum torquent perpetuum, quod nemini citra peccatum
liceat gradum academicum assumere. Peccant illi Interpre-
tes & impie pii Doctores contra bonæ interpretationis
regulas, Christus enim Discipulis suis prohibet confor-
mationem morum cum Pharisæis & Legis peritis, qui per
vanam ambitionem salutari volebant Rabbi, Magister & Pa-
tres. Doctoratus etiam Theologorum est inculpabi-
lis, prouti enim omnia ordine & decenter fieri debent, &
propter hunc ordinem oportet haberi Inspectores inferio-
rum, & Inspectorum Inspectores, sic etiam expedit distin-
gui Theologos excellentiores ab aliis, ne quilibet sine præ-
via approbatione se gestiat Doctorem cum multo discentium
damno. Sed videatur hoc thema exasciatum a *Magnif. nostro
ÆPINO* *diff. de Moralitate graduum academicorum.* *Conf. etiam B.
MAYERI* *seriptum de Doctoratu Theologico.*

Meditatio XX.

Matth. XXV, 14. sqq.

Servus acquirebat Domino.

Difficulus intelligitur hic textus, nisi quis intellexerit
naturam fervorum sub Jure Romano; Quicquid igitur illi ac-
quirebant, Domino lucrabantur, & solebant Domini servis
concedere negotiationes, rationesque gestorum postea po-
stulare; Fiebant autem omnia periculo Domini, unde unus
ex servis talentum concreditum voluit integrum servare, ne
pecuniam periculo, & se Domini castigationi exponeret.

Medi-

Meditatio XXI.

Matth. XXVII.

*Injustum omnino fuit Pontii Pilati super Jesum
Judicium.*


Habemus THOMASII & Johannis STELLERI Doctoris Je-
mensis scripta, in quibus ille, *Preside B. MOEBIO*, Pilatum incre-
pare, hic autem defendere satagit; Videat ipse B. L. quo-
modo hi Scriptores ingenium suum exercuerint, ita tamen, ut
Thomasio subscribere par & æquum maneat. An autem Pi-
latus ab Imperatore ob hanc sententiam proscriptus fuerit,
& an ille lacus in Helvetia ab eo nomen acceperit, in du-
bio relinquimus. Juvat hæc omnia operosus labor *D. Ayrsers*
l. t. *Historischer Process Lucifers wieder Jesum.*

Meditatio XXII.

Matth. XXVII, 15. sqq.

*Aggratiatio facinorosorum diebus solennibus fieri solita,
nihil habet vel pietatis vel prudentiæ.*

Vid. supra Medit. ad I. Sam. XI. v. 13. Confirmat autem
hæc Historia de Barraba atrocissimorum scelerum reo, & ni-
hilominus dimisso, quanta vis fiat justitiæ per talem intem-
pestivam clementiam. Notanter autem hic & supra scripsi-
mus de facinorosis, sub quibus intellectos volumus illos, qui
delicta jure divino taxata & alia atrocissima patrarunt. Quod
enim Princeps in vincula & carcerem ob facta non adeo tur-
pia, v. gr. ob delicta militaria, ob debita, ob abusum juri-
um, ob rationes male exhibitas &c. conjectos, singulari pie-
tate & prudentia suadente possit dimittere, hoc non nisi im-
pius & impudens reprehendet.



Prænobili atque Solertissimo

DOMINO ALBINO,

Amico atque Auditori suo perpetuo, gratulatur

PRÆSES.

Perpetuos dicere soleo illos meorum Dominorum Auditorum, quos Collegiorum & Lætionum mearum a semestri ad semestre, ab anno ad annum continuare observo. Tu igitur, *Humanissime Domine ALBINE!* Auditor certe meus perpetuus es, quia vitæ academicæ multam partem transegisti in meo Auditorio. Potest omnino hinc enasci præsumptio, te studiis Juridico-Politicis haud leviter esse imbutum, nisi forte Judex constituatur talis, qui mihi & tibi inimicus est. Ne autem detineantur dubii, quibus hactenus notus non adeo es, veniant Amici, veniant inimici, quos te videant atque audiant. Ego nullas æstimo calcitrationses, imitare igitur meum morem, & sentiens lubricam factorum esse viam, ob tot ubique stantes Andabatas lapsum promoturos, contra audentior ito, & fata viam invenient. Vale & nunquam te pœniteat meum fuisse Auditorem perpetuum. Vale & in fatis tuis, mi ALBINE, sis albæ gallinæ filius. Dab. d. 27. Jul. 1730.

P. S. Si tibi litem aliquis movere vult super p. 10. lin. 14., responde, calamum meditabundi scriptoris errasse, & legendum esse *Jure naturali*; Si hanc excusationem admittere forte nolit, remitte illum ad lin. 10. ubi expresse legitur textus Juris divini hoc conjugium prohibens.

Sie mit vergnügten Schritten zu den Ort der Ehre hin,
Zeige heut auff der Catheder wie dein auffgeweckter Sinn
Allen Gegensatz als Spreu kan mit einem Wort zerstreuen,
Und im Mund so fertig seyn als im wohlgesetzten Schreiben.
Selbst der Himmel geb die Fülle alles dessen was du wilt,
Und führe dich bald zu dem Orthe, der die Ehr-Begierde stillt.
Ich will die Geschicklichkeit heute mit Vergnügen sehen
Und weil du es haben wilt als Opponens mit dir gehen.

Hiemit wolte dem Herrn Respondenten ergebenst gratuliren
Desselden verpflichtester Diener

CHRIST. ANT. Mangel.
Die

Die Weisheit hat die Ehr zur Tochter angenommen,
Wer's mit der Mutter hält, muß hoch am Brete kommen;
Mein Freund Du stehst bey der Sophia Wunder-schön,
Und wilst mit selbiger heut zur Catheder gehn;
Drum wird die Mutter DIX bey andern guten Tagen,
Wenn DU es nur verlangst, die Tochter nicht versagen.

Mit diesen Gedanken wolte den Herrn *Respondenten*
zur Catheder begleiten

Dessen ergebenster Freund und Diener

D. C. CIESE, *Rostochiens.*


LL. Cult. Oppon.


Soll Themis Weisheits-Gold Dich zur Catheder senden,
Zeigt Dein Gelehrsamkeit uns heute ihren Schein,
So kömmt die Freuden-Schriefft, mein Freund! aus treuen Händen,
Und freuet sich darob daß Du kanst Zeuge seyn:
Wie unsers Mangels Wiß weiß Leute auszurußten,
Wovor die Ignoranz sich überwunden neigt,
Und die mit großem Ruhm einst dienen ihren Fürsten,
Wenn ihre Wissenschaft sich in dem Lande zeigt.
Dis letzte wollest Du nach meinem Wunsch' bald finden,
Es pflanzen ferner Dir die Musen Weisheit ein,
So must Du statt der Noth Vergnügungs-Seide spinnen.
Ich aber will Dir stets zu dienen willig seyn.

Dieses setze dem Herrn *Respondenti* ALBINO,
aus völliger Überzeugung

Christoph Christian von Ketzdorff/
Equ. Marchicus.







the scale towards document

Prænobili atque Solertissimo

DOMINO ALBINO,

atque Auditori suo perpetuo, gratulatur

PRÆSES.

dicere soleo illos meorum Dominorum Auditorum, Regiorum & Lectionum mearum a semestri ad pro anno ad annum continuare observo. Tu igitur, *Domine ALBINE!* Auditor certe meus perpetuus es, quæ nunc multam partem transegisti in meo Auditorio. Nunc nasci præsumptio, te studiis Juridico Politicis immixtum, nisi forte Judex constituatur talis, qui dignus est. Ne autem detineantur dubii, quibus habere adeo es, veniant Amici, veniant inimici, quos tu audiant. Ego nullas æstimo calcitraciones, imitari morem, & sentiens lubricam fatorum esse viam, que stantes Andabatas lapsum promoturos, periculis, & fata viam invenient. Vale & nunquam te non fuisse Auditorem perpetuum. Vale & in fatis non sis albæ gallinæ filius. Dab. d. 27. Jul. 1730.

Si quis aliquis movere vult super p. 10. lin. 14., remaneat amum meditabundi scriptoris errasse, & legendum *re naturali*; Si hanc excusationem admittere formidat, mitte illum ad lin. 10. ubi expresse legitur textum vini hoc conjugium prohibens.

gnügten Schritten zu den Ort der Ehre hin, auf der Catheder wie dein auffgeweckter Sinn gegenstand als Spreu kan mit einem Wort zerstreuen, so fertig seyn als im wohlgesetzten Schreiben. Ich geb die Fülle alles dessen was du wilt, und zu dem Orthe, der die Ehr-Begierde stillt. Die Geschicklichkeit heute mit Vergnügen sehen zu es haben wilt als Opponents mit dir gehen. Hiemit wolte dem Herrn Respondenten ergebenst gratuliren Desselben verpflichtester Diener

CHRIST. ANT. Mantzel.
Die